



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

19. An qui per impotentiam, vel ignorantiam Edicti non denunciauit intra terminum, teneatur postea denunciare? Et an in tali casu non sit obligatio denunciandi statim, sed intra eosdem dies, quos ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisit. &c. Ref. XVIII. &c. 385

presumptionem in tali casu deficere, teneat ad denunciandum? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 10.

S. 1. Negativè responderi Riccius p. 3. dec. 278. n. 6. & ante illum Ioan. Valerius in differ. iurisque fori, verb. heresi, differ. 1. n. 4. ubi agens de denunciationibus faciendis, vel non faciendis ex Edicto Dominorum Inquisitorum sic asserit: Quintò fallit in his in quibus Edictum se fundat in presumptione, ut in Chiromanticis, Necromanticis, & aliis, qui ex inspectione simulacrorum, vel linearum manuum, aliqua prædicunt: si enim aliàs ego certò scio, non habere tales pactum ullum cum Dæmone, non teneor denunciare: nam motus Sixti V. circa hoc editus fundat se in presumptione: in dubio autem tenetur quis denunciare. Ita Valerius. Quòd autem lex fundata in presumptione non obliget, si præsumptio cessat, probant ex multis Homobon. in exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 8. g. 3. & probabilem hanc sententiam vocat Becanus in summa Theol. p. 2. tr. 3. c. 6. concl. 4. n. 5. & alij.

2. At his minimè suffragantibus, contrariam sententiam docet Freit. in addit. ad tr. Episc. Acugna, de Confess. soluc. g. 2. n. 26. ubi asserit, iudicium illud discernendi circa suspensionem de fide, quæ resultat supposita Pontificis, vel alicujus Edicti præsumptione, non competere Confessariis, vel aliis, sed Inquisitoribus. Vnde licet Bulla Greg. XV. fundetur in presumptione, ut patet in illis verbis: Nos in animum inducere nequeunt, sequitur iudicium discernendi circa suspensionem de fide Confessarij sollicitantis, non competere, nisi Inquisitoribus. Et hæc Deus scit, cum quanto labore collecta satis sufficiant, circa obligationem denunciandi ex vi Edicti Dominorum Inquisitorum, ex quibus Confessarij infinitos casus in praxi quotidie extricare poterunt. Nunc verò devinciendum est ad aliquas dubitationes elucidandas circa denunciations faciendas, ex sollicitatione facta in confessione, ex vigore Bullarum Clem. VIII. Pauli V. & novissimè Greg. XV. idèd quaeritur:

RESOL. XVIII.

An femina Edicti ignara teneatur denunciare sollicitantem statim, vel intra eosdem dies, quos Edictum signaverat?

Et an femina conscia Edicti, & non denunciata intra terminum excommunicationem incurrat à qua absolvi non possit per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 26.

S. 1. Affirmativam sententiam docet Acugna tr. de Confess. soluc. g. 2. n. 4. ubi sic ait: Præmitto, excommunicationis consumptio termino non consumptam denunciandi obligationem, imò teneri spatium non detur, ut extinguatur, sed ne differatur obligatio. Propterea si Edicti quis ignarus, aut iusta aliqua armatus excusatione, non intra præfixum terminum compareat, mandati tandem jam gnarus, & impedimentis illis iustis jam expeditis comparere tenetur, atque non teneri statim ac sciat, probabile est, sufficiens erit iudici se sistere testimonium dicturum intra æqualem terminum, qui per Edictum conceditur, quia non debet pejoris esse conditionis. Ita Acugna.

2. Sed Ioanni Sancio in selectis disp. 1. r. n. 59. verius videtur obligare Edictum ante alios dies ab illis, quos antea signaverat, & teneri feminam denunciare cum primum commode possit; sicuti teneretur denunciare ex præcepto naturali opportunitate adveniente, nec ob id est pejoris conditionis femina quæ ignoravit

Tom. V.

Edicti publicationem, cum tam ipsi quam alii terminus ad denunciandum æqualis sit designatus, imò est melioris conditionis per accidens, cum ob ignorantiam Edicti excusetur ab obligatione denunciandi per amplius tempus, quam femina Edicti gnara. Hæc Sancio qui tamen concedit opinionem affirmativam esse satis probabilem, quam teneat etiam Fillius, tom. 1. tract. 14. c. 2. n. 41. & Suarez de cens. disp. 20. c. 1. n. 14. loquentes in communi de illo, qui tenetur revelare aliquid sub pena excommunicationis.

3. Notandum est tamen, quòd si excusata fuisset femina denunciare ob aliquod impedimentum intra terminum Edicti, dum esset illius conscia, non oportebit illi novum terminum concedere, quia habuit scientiam ut posset toto illo tempore deliberare quid & quomodo agere oporteat, & consulere. Ita Suarez, & Sancio ubi supra, licet in hoc dissentiat Freitas in novis. addit. de Confess. soluc. g. 2. n. 41. ut infra patebit. Nota etiam hic, quòd femina conscia Edicti, & non denunciata intra terminum, excommunicationem incurrit, à qua absolvi non potest per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio, aut per feminam non sciet, quin fiat, cū læsa pars non sit adepta satisfactione, videlicet Inquisitores, quorū iustū mandatum non est impletū.

Sup. hoc sup. in tr. 8. Ref. 32. Notant ad med. vers. quia asserit, & inf. in Ref. 23.

RESOL. XIX.

An qui per impotentiam, vel ignorantiam Edicti non denunciavit intra terminum, teneatur postea denunciare? Et an in tali casu non sit obligatio denunciandi statim, sed intra eosdem dies, quos Edictum signaverit? Et an qui non denunciavit intra terminum præfixum in Edicto incurrat novam excommunicationem, vel tantum maneat in eadem? Et an si in talibus Edictis jubeatur denunciare intra sex primos dies, ex praxi consuet inter eos non numerari diem primum? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 96. aliàs 95.

S. 1. Affirmativè responderi Fillius, tom. 1. tract. 14. c. 2. n. 42. qui citat Suarez, idem etiam docet Sancio in selectis disp. 1. r. n. 59. qui citat Acugna, & Freitam, vide etiam Antonium Ragucium in var. discipl. Eccl. tit. de monit. g. 97. n. 2. Et ratio est, quia terminus non est in Edicto positus ad faciendam, sed ad differendam obligationem. Ex his inferitur, quòd excusatus ob ignorantiam, ad non revelandum intra præfixum terminum, si postea illi constet de Edicto, teneatur ad revelandum; quia obligatio adhuc durat.

2. Non reticeam tamen contrariam sententiam, docere Vgol. de potest. Episc. cap. 45. §. 5. n. 1. Philiar. de off. Sacer. tom. 1. p. 1. lib. 3. cap. 34. Amillam ver. excomm. n. 34. & Tabienam ver. excomm. 4. n. 5. ubi sic asserit. Ex his sequitur quæstio ista, scilicet est facta monitio per Episcopum, ut qui habet instrumenta Titij, revelet infra sex dies, Petrus habet unum, & est absens, & ignorans, post sex dies fit excommunicatio, deinde venit Petrus, nunquid incurrit? Dicitur quòd non, quia ultra terminum statuentis, nullum habet vigorem. Ita ille, & hanc sententiam novissimè docet noster Naldus in sum. ver. revelare, c. 2. ubi ita ait: Revelare jubens Edicti superioris delictum aliquod occultum sub pena excommunicationis intra certum tēporis spatium non comprehendit subditos, qui tempore Edicti degunt extra territorium excommunicantis, & similiter qui promulgationis Edicti tempore erat impotens, vel ignarus Edicti, vel aliàs legitime excusatus, cessante ejusmodi excusatione post elapsum terminum, non incidunt in illam excommunicationem, quæ vires suscipit tempore suæ publicationis, & ideo nova sententia opus esset ad eos excusatos ejusmodi censura afficiendos. Sic Naldus, sed tu à communi sententia ne recedas.

K x

3. Nota

3. Nota verò contra Sancium ubi *supra*, quòd in tali casu non est obligatio denunciandi statim, sed intra eosdem dies, quos Edictum signaverat; non enim debet esse peioris conditionis, qui ignoravit Edictum, quam ceteri qui notitiam habuerunt, & ita docent Filliucius loco citato, & Villalobos in *summa* tom. 1. tract. 17. diff. 18. n. 4.

4. Notandum est etiam hic obiter, cum Lazario de monitoriis, sect. 2. q. 4. n. 8. qui citat Conradum, Graesium, & Navarrum, quòd qui non denunciatur intra terminum præfixum in Edicto, non incurrit in novam excommunicationem, sed tantum manet in eadem. Contrariam sententiam docet Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 1. §. 9. n. 2. putans toties incurrere excommunicationem non denunciando, quoties potest commodè denunciare: sed opinio Lazarij, & aliorum, est satis probabilis.

5. Notandum est etiam, quòd in talibus Edictis jubentur scientes denunciare intra sex primos dies, & ex in Ref. 24. §. praxi constat inter eos non numerari diem primū publicationis; ac subinde dum Edictum publicatur in Dominica, cum sex diebus datis pro tribus terminis, finitur publicatio sequenti Dominica in eadem hora, & qui nesciunt statim primo die fuisse latam excommunicationem in Edicto contra scientes, possunt à die notitiæ numerare prædictos sex dies. Et hæc omnia docet Henriquez lib. 13. cap. 18. n. 6. & in glossa lit. O.

RESOL. XX.

An femina in decimo mense v. g. anni post Edictum publicatum teneatur denunciare Confessarium solicitantem?

Et an Edicta Episcoporum non durent per totum annum, sed per duos, vel tres menses, unde si post hoc tempus transactum novit quis aliquem esse concubinarium, non teneatur illum denunciare? Ex part. 4. tract. 5. Ref. 27.

Sup. hoc in §. I. **N**egative videtur respondendum per ea, quæ docet Henriquez lib. 3. cap. 18. num. 4. glossa lit. L. ubi ita asserit: Dum Inquisitor visitat pro causa favorabilis fidei, ut habet majus territorium, ita obligatio denunciandi longiori tempore durat, sed novo præcepto Edicti non intendit obligare pro toto anno, & prudens perpendet quanto tempore daret nova obligatio, dum promulgatur Edictum per præcipuas Parochias. Pagna & recentiores negant obligare pro toto anno. Ita Henriquez, ex quibus sequeretur, quòd quis v. gr. post decimum mensem à die publicationis Edicti non teneretur denunciare.

2. Sed hæc opinio est prorsus rejicienda. Nam, ut optimè observat Suarez de fide, disp. 20. sect. 4. n. 11. obligatio hæc denunciandi oritur immediatè ex præcepto imposito per Edicta DD. Inquisitorum, quæ non minor vim habent, quam leges Canonice, nam Apostolica autoritate feruntur, & quamvis videantur præcepta ab homine, tamen quia Tribunal, à quo procedunt, perpetuum est, ideo per modum legis perpetuò durat, sicut de Bulla Cœnæ DD. communiter asserunt. Vnde in terminis nostram sententiam docet Fagundes de præcepto, Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. numero 31. Avila de cens. part. 2. cap. 5. disput. 5. dub. 5. conclus. 3. ubi sic ait, Edicta Inquisitorum durant per totum annum, donec iterum publicentur; itaque in quocumque tempore anni sciam aliquem esse hæreticum, teneor denunciare. Probat, nam hæc videtur intentio Inquisitorum, cum hæc delicta sint contra bonum commune, & ita practicitur, quòd fideles in quocumque tempore anni denunciant hujusmodi

delicta. Ita Avila, qui tamen notat, quòd Edicta Episcoporum non durant per totum annum, sed per duos, vel tres menses, unde si post hoc tempus transactum novit aliquem esse concubinarium, non teneretur denunciare, nam cum hæc delicta non vergant in damnum publicum, non videtur ita stricte interpretandum, neque accipiuntur à fidelibus cum tanto rigore, sicut quando accipiuntur Edicta Inquisitorum.

RESOL. XXI.

An femina in aliquo casu teneatur denunciare ante completum terminum publicationis, Edicti Inquisitorum?

Et ex doctrina hujus questionis inferitur, an quis teneatur prævenire tempus confessionis, Eucharistie, & auditionis Missæ, si timeat, quòd quando obliget confessio, communio, vel Sacrum, non esset copia Confessarij, &c.

Et an supradicta femina, quæ jam censuram incurrit, si denunciationis præceptum adimpleat, possit virtute Bullæ Cruciatæ à quocumque Confessario absolvi à censura, vel à Regularibus virtute privilegiorum? Ex p. 4. tract. 5. Ref. 29.

§. I. **A**D hoc dubium curiosum quidem ita respondet Io. Sancius in select. disp. 11. n. 60. Si femina conficia Edicti iter ageret ante terminum publicationis impletum ad oppidum, ubi non esset opportunitas denunciandi, aut quia Inquisitionis Tribunal ibi nunquam esset, aut alia causa, probabile erit non construngi feminam prævenire denunciationem ante impletionem termini designati per Edictum Inquisitorum, si tantum loquamur ex juris positivi obligatione, quia lex non obligat denunciare, nisi intra illum terminum, nec constringit prævenire denunciationem ante in aliquo casu eo modo, quo nec teneri quæ prævenire tempus annuæ confessionis, & communionis, aut recitandum Officium divinum ante terminum designatum per leges, quamvis sciat ille, qui non prævenit reddendum impotentem ad non implendas leges, probabile judicant aliqui, quæ admittit probabilitate, præsens casus probabilis erit, nec tenebitur, femina ab iter agendo cessare sibi non necessarium, nec expectare dies Edicti, si nolit ante illos denunciare; sicut non teneretur nō iter agere, quòd est sibi non necessarium, qui sciret se reddi impotentem ex eo ad junandum. Diximus non teneri prævenire denunciationem ex vi præcepti positivi, nam ex vi naturalis si maxime timeretur damnum Reipublicæ, aut metueretur fuga Conf. statij, qui alibi quoque nocturus esset, prævenire teneretur. Hæc omnia Sancius.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo, quia quis teneretur prævenire tempus confessionis si timeat, quòd quando obligabit confessio, non erit copia Confessarij, & ita docet Suarez tom. 4. disp. 36. sect. 5. n. 5. Fagundes ubi *infra*, Layman in Theolog. mor. lib. 5. tract. 6. c. 3. num. 9. & alij. Ei idem asserunt de præcepto communionis, nam qui prævidet impedimentum futurum, ut in tempore Paschatis Eucharistiam recipere non possit, teneretur prævenire tempus, & illam facere, ut docet Sylvius in 3. part. quest. 80. art. 11. diff. 2. Fagundes pr. 3. lib. 1. cap. 6. num. 3. & alij, & sic etiam si quis in die festo prævidet se non posse audire Sacram horæ nona, teneretur anticipare tempus, & audire hora tertia, si in nona non potest. Vnde merito idem Sancius ubi *supra*, asseruit probabilius esse in caso nostro ad prævenire denunciationem ante terminum designatum per Edictum Inquisitorum, & denunciare Confessarium solicitantem.